



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Sanctorvm Qvinqvaginta Ivris-Peritorvm Elogia

Roberti, Johannes

Leodii, 1632

Daniel Propheta Palaestinvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45032

DANIEL
PROPHETA PALAESTINVS,
ASSERTIO IVRISPER.

Daniel cap. 2. v. 48.

Rex Danielem constituit PRAEFECTVM
MAGISTRATVVM.

Iterum cap. 13. v. 51.

Separate eos ab inuicem procul, & DIIV-
DICABO eos.

Quid ni & hoc Iudicium obires, & quoduis aliud, ô magnum decus *Iudicium* omnium, & *Iurisperitorum*? Nomen quippe tuum sonat vel *Iudicium DEI*, vel *IUDEX DEI*. Ille ipse *DEVS* suscitavit *Spiritum sanctum suum* in te, ad iustè iudicandum. cap. 13. v. 45. Cùm alioqui *OMNE* *verbum Sapientiae, & Intellectus* (quis sapiens putet hinc abfuisse *scientiam Politicam, & cuiusuis IVRIS?*) in te fuerit *super cunctos ariolos & magos, qui erant in vniuerso Regno.* cap. 1. v. 20.

DANIEL hic, stirpe Regiâ editus,
nec in exilio, nec in seruitute, generosi-
tatem

tatem amisit : quin & per sapientiam suam, Regibus, dominis suis, non modo proximus adhæsit : sed eos admonuit, atque adeo increpuit.

Nabuchodonosor grauiter in DEVM, Regem regum peccauerat: ausus est Daniel horrendam illâ denuntiare ei sententiam : *Eijcient te ab hominibus, & cum bestijs, ferisq; erit habitatio tua, & fœnum, vt bos, comedes.* Cap. 4. v. 22. Addit consilium saluberrimum: *Peccata tua elemosynis redime.*

Cum huius Filio Baltassare Rege, multo acrius egit noster Daniel : *Aduersum Dominatorem cœli eleuatus es, inquit, & DEVM, qui habet flatum tuum in manu suâ, & omnes vias tuas, non glorificasti.* Tum clarè denuntiat pœnam, quæ eius sceleribus proximè imminebat, nempe, *Diuisum esse Regnum eius, & datum Medis, & Persis.* Cap. 5. v. 23. & 28. quam pœnam statim re ipsa expertus est : nam *eâdem nocte est interfectus.*

Porro quàm equo animo ambo hi Reges Danielis sententias tulerint, satis inde

de

de liquet, quòd & sub priore dignitatem
pristinam retinuerit: & de posteriore
scriptum fit: *Tunc, iubente Rege, indutus
est Daniel purpurâ, & circumdata est tor-
ques aurea collo eius, & prædicatum est de
eo, quod haberet potestatem tertius in regno
suo. Cap. 5. v. 29.*

Sed qui Reges tam habuit benignos,
regios canes expertus est & latratores,
& mordaces. Aulicos dico quosdam in-
uidos, nisi cum Constantino Imp. tales
malis dicere *Palatij tineas, & sorices*; tan-
to peiores fordidis istis animalculis,
quòd & comedant perpetuò, & ferre
non possint, vt alij mensam, cibosve at-
tingant.

Itaque aliàs, quòd *DEVM suum (DEVM
vtique omnium, etiam nolentium) tri-
bus temporibus per diem oraret obsecratione
suâ; præcipitem in lacum leonum deturba-
ri curarunt. Quid lucrati? vt tam bonus
DEVS occluderet ora leonum, neque vlla læ-
sio inueniretur in eo: improbi verò calum-
niatores, eodem missi, cum vxoribus, & fi-
lijs, ab ijsdem famelicis leonibus arripe-
rentur,*

rentur, & omnia eorum ossa comminuerentur. Cap. 6. Aliàs propter sublatum infame Idolum Bel, eiusque templum destructum; & propter diruptum Draconem stolidorum Babyloniorum deum, iterum septem leonibus prædam esse voluerunt. Sed quid obtinuerunt? vt multo clarior euaderet; vt diuinitus, Angeli, & Prophetæ ministerio pasceretur; vt ipsi impij à rabidis feris, *momento deuorarentur*: denique vt, sublatis illis infamibus numinibus, triumpharet Daniel, & magis DEVS Danielis, promulgatâ iustissimâ illâ lege:

Paueant omnes habitantes in vniuersâ terrâ DEVM Danielis, quia ipse est Saluator, faciens signa, & mirabilia in terrâ. qui liberauit Danielem de lacu leonum. Cap. 14.

Obijt Anno Mundi 3535. Ante Christum 518.
Ætatis 110, 21, Iulij.

S. HIE-